

ABDIAS PRAETORIUS THEOLOGVS.



A Bdias natus est apud Septentrionales Germanos anno circiter 1516. Is cum præclaro ingenio frueretur, à pueris operam literis dedit, atq; hinc inde in Academijs artium & linguarum sibi præclaram eruditionem comparavit. Postea uero S. Theologiæ incubuit, atq; uerum scripturæ sensum magna felicitate didicit. Hinc factum ut in celeberrimo gymnasio Fräckofortensi ad Oderam inter professores receptus, & liberali stipendio do-tatus fuerit. Erant quidē aliquot uicini principes, qui huius uiri eruditioe & pietate permoti, ipsum ad se pellicere, atq; suæ Ecclesiæ statum commendare decreuerant. Verūm Abdiās in sua uocatio-ne perseuerauit, atq; loachimo electori Brandenburgico gratissimus fuit. Postea quoq; animum ad scribendum conuertit & præclaras aliquot lucubratio-nes composuit, quas suo tempore in communē utilitatem publicabit. id quod à uiris doctissimis & fide dignis intellexi. Hac ratione Abdiās Franckoforti etiamnum pergit, & docendo atq; scribendo omnibus Germanis magna nominis æstimatione innotescit. Anonymos.